Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1157
Quelle:
Copyright:

lorum dictcriis Petrus, hanc suæ Theologiæ Summam nuncupauit Guillelmo Senonensi Archiepiscopo, postea Remensi (vti Historiam Scholasticam eidem dicauerat Petrus Comestor) idque circa annum 1170. Agunt de *Petro Pictaviensi Lombardi* Discipulo et in Cathedra Successore, atque in iis etiam, quae minus probata, cum eo sentiente, ideoque ab *Gualtero S. Victoris* Priore impugnato et cum Magistro suo, *Petro*que *Abailardo, Gilberto* item *Porretano* adpellato *Galliae Labyrintho Oudinus* T. II. *col.* 1499. *Fabricius* L. XV. *France litteraire* T. IX. Partitio illius I. init in Codice: *Invisibilia dei a creatura mundi per ea que facta sunt* &c. Quamvis Partitionem praecedit Elenchus Capitum. Quae Partitione III. tractat Autor de Gratia, Peccato et Virtutibus, apud Magistrum ejus partim L. II. partim III. habentur. Ad errores ejus animadvertit *Mathuldus cit.* in *Praef.* His non obstantibus ad Archiepiscopatum *Ebrodunensem* in senio pervenisse e male intellecto *Alberici* in *Chron.* ad an. 1206. loco scripsere *Sammarthani Galliae* suae *Christ.* T. I. et post eos alii. Sed Mauriani *Galliae Christ.* novae T. III. *col.* 1075. nos dedocuere.

CCCCLXVIII.

U. 278 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 172. f. maj. per duas columnas nitide descriptus, literis initiorum deauratis et picturatis, minioque comtus *Petri Lombardi IV. Sententiarum Libros* offert initio sumto a Prologo: *Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra* &c. Hunc omnium IV. Librorum *Capitula* excipiunt, *Distinctionibus* tantum per Operis decursum in margine adsignatis. Opus integrum, probe scriptum hac clausula, quam Scriba literis illis diplomaticis uncialibus angustissimis exaravit, terminatur: *Christus laudetur quia libri finis habetur. Finito libro sit laus Ihesu Christo.*

CCCCLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 279 XIII. Folior. 143. f. per duas columnas bene scriptus, et rubricis enotatus aliud *Petri Lombardi* Exemplar continet insignitum: *Sententie Magistri Petri parisiacensis*, in eo a praecedente differens, quod Libris singulis suum *Capitulare* praefixum est. *Distinctiones* porro in margine tantum adnotantur. Textus integer ita subscribitur: *Expliciunt sententie magistri petri de italia.* Rite; nam aut *Novariensis* fuit, aut, quod contendunt *Lettere ragionate Lucae* 1775. editae, *Lucensis.*

Fol. 142. alia aeque vetusta manu *Ammonitio innocentii pape III. Pro liberatione terre sancte ierusalem.* Incipit: *Quia maior nunc instat necessitas, quam unquam institerit* &c. Ut in *Cocquelinii Bullario T. III. Romae* 1740. n. XCII. p. 158. f. Post verba: *congruo loco et tempore* circa finem aliqua absecta sunt.

Fol. 143. *Littere de conuocando concilio. Archiepiscopis Episcopis*